



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

III. De Confessione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

nes. Vbi manifeste praecipit Christus de poculo vt omnes bibant, & ne quis possit cauillari, quod hoc ad Sacerdotes tantum pertineat, Paulus ad Corinth. exemplum recitat, in quo apparet totam Ecclesiam vtraq; specie vsam esse, Et diu mansit hic mos in Ecclesia, nec constat quando aut quo autore mutatus sit. Cyprianus aliquot locis testatur populo sanguinem datum esse. Idem testatur Hieronymus, qui ait, Sacerdotes Eucharistiae ministrant, & sanguinem Christi populis diuidunt. Imo Gelasius Papa mandat, ne diuidatur Sacramentum, Dist. 2. de consecratione. Cap. comperimus. Tantum consuetudo non ita verus aliud habet. Constat autem quod consuetudo contra mandata Dei introducta, non sit probanda, vt testantur Canones, Dist. 8. Cap. veritate, cum sequentibus. Hac vero consuetudo non solum contra scripturam, sed etiam contra veteres Canones & exemplum Ecclesiae, recepta est. Quare si qui maluerunt vtraq; specie Sacramenti vti, non fuerunt cogendi, vt aliter facerent cum offensione conscientiae.

Et quia diuisio Sacramenti non conuenit cum institutione Christi, solet apud nos onitti processio, quae haecenus fieri solita est.)

III.

DE CONFESSIONE.

HVIC parti doctrinae Christianae de poenitentia, in primis magnas tenebras offuderunt Theologi & Canonistae. Idque testantur non solum ipsorum Bibliotheca, sed etiam omnium piorum conscientiarum, quae fatentur illas inextricabiles disputationes Theologorum, & traditiones infinitas de poenitentia, horribilem carnificinam conscientiarum fuisse. Nusquam enim quicquam certi docent, quomodo contingat remissio peccatorum: De fide prorsus est altissimum silentium. Imo iubent perpetuo dubitare de remissione peccatorum. Postea excruciant conscientias acerba enumeratione delictorum, Item satisfactionibus. Qualis enim Iaqueus conscientiae fuit traditio, quae praecipit omnia peccata enumerare?

Satisfactiones vero obscurauerunt beneficium Christi, quia etiam docti fingunt, per eas compensari aeternam mortem. Indocti putabant his operibus emi remissionem culpae. Quid quod plerumque fuerint cultus non mandati à Deo, *καθηλογίου* precum, inuocationes sanctorum, peregrinationes, & hoc genus alia? Ita fuit obruta ingenti aetruo inutilium ac malarum opinionum, simplex doctrina de poenitentia. Et constat multis seculis bonos desiderasse doctrinam puriorem.

Porro, praecipue opus est in Ecclesia extare purissimam & simplicissimam de poenitentia doctrinam. Ideo huic articulo maxime studue.

studuerunt nostri lumen afferre, quem quidem ita patefecerunt, atque illustrarunt, ut etiam aduersarij saniores fateantur, hac in re bene meritos esse de Ecclesia.

Nam simpliciter, plane, sine vlla Sophistica, proponimus, Euangelij sententiam de penitentia, ut intelligant homines, quomodo ad Christum redire debeant, quomodo consequantur remissionem peccatorum, qui cultus, quæ opera placeant Deo. Primum docemus necessariam esse contritionem, hoc est, veros terrores & dolores animi, qui agnoscit iram Dei, & dolet se peccasse, & desinit mala perpetrare. Etsi autem hi dolores necessarij sunt, tamen sciendum est remissionem peccatorum, non dari propter dignitatem contritionis, seu horum dolorum. Sed addenda est fides, hoc est, fiducia misericordiae promissæ propter Christum, & statuendum est, gratis remitti peccata propter Christum.

Cum hac fide in terroribus illis erigimur, consequimur certo remissionem peccatorum, sicut supra ostendimus, Et hanc fidem concipiunt animi ex Euangelio, Item ex absolutione quæ Euangelium annuntiat, & applicat perterritis conscientijs. Ideoque docent nostri retinendam esse in Ecclesijs priuatam Absolutionem, Et eius dignitatem, & potestatem clauium, veris & amplissimis laudibus ornant: quod videlicet potestas clauium administret Euangelium, non solum in genere omnibus, sed etiam priuatim singulis, Sicut Christus inquit: *Lucretus eris fratrem, &c.* Et quod voci illi Euangelij, quod ministerio Ecclesiæ nobis in absolutione administratur, credendum sit, tanquam voci de cælo sonanti.

Hoc totum beneficium Absolutionis & huius ministerij, antea fuit omnino obscuratum falsis opinionibus illorum, qui docuerunt Absolutionem non valere, nisi sufficienter contriti simus. Et postea iuebant dubitare de absolutione, quia nemo sciret se satis contritum esse. Quid fuit hoc aliud, quam Euangelij consolationem eripere conscientijs, & tollere ex Ecclesia, ac profus abolere ministerium Euangelij, seu potestatem clauium? Quis non videt hos tam perniciosos errores, merito reprehensos esse?

Cum autem confessio præbeat locum impertiendæ Absolutioni priuatim, & ritus ipse intellectum potestatis clauium, & remissionis peccatorum conseruet in populo: Præterea cum illud colloquium magnopere prosit, ad monendos & erudiendos homines, diligenter retinemus in Ecclesijs Confessionem, sed ita, ut doceamus, enumerationem delictorum non esse necessariam iure diuino, nec onerandas esse conscientias illa enumeratione. Nullum enim extat in scripturis Apostolicis præceptum, de hac enumeratione. Et omnium delictorum recitatio impossibilis est, iuxta illud Psalmi:

Delicta

Delicta quis intelligit? Item, Ieremais ait: Præuū est cor hominis & intercrutabile. Quod si nulla peccata, nisi recitata remitterentur, nunquam possent acquiescere conscientia, quia plurima peccata neq; vident, neq; meminisse possunt. Quæ ex re facile intelligi potest, ministerium absolutionis, & remissionem non pendere ex conditione enumerationis.

Testantur & veteres scriptores non esse necessariam Enumerationem. Chrysostomus enim in epistola ad Hebræos inquit: Persuadeamus nobis peccasse nos, nec in lingua tantum pronuntiet, sed etiam intima conscientia, nec tantum dicamus nos esse peccatores, sed etiam peccata specialiter computemus. Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neq; te, vt apud alios accuses, sed obædire te volo Prophetæ: Reuela Domino viam tuam, Coram Deo peccata tua confitere, Apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientia tua memoria, & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Hæc Chrysostomi concio, non solum docet, quid de Enumeratione sentiendum sit, Sed etiam grauissime coniungit contritionem & fidem, Sicut nos coniungimus: iubet primum, vt peccata vere agnoscamus, & ex animo detestemur: deinde docet addendam esse orationem ac fidem, quæ statuat nobis ignosci. Et alio in loco ait: Peccata tua dicito, vt deleas. Si pudeat dicere quod peccaueris, dicito quotidie in anima tua. Non dico, vt confitearis ea seruo, vt exprobrat, Dic Deo, vt curet ea.

Fateretur & glossa in Decretis de pœnitentia, distinctione quinta, Confessionem institutam esse ab Ecclesia, nec præcipi eam in scripturis veteris & noui Testamenti, Idem pleriq; doctores senserunt. Quare sententia nostra de Confessione, neq; houa, neq; absurda est.

Postremo de satisfactionibus, vel maxime opus fuit moneri piæ mentes. Nam satisfactiones plus etiam incommodi habuerunt, quam illa enumeratio. Obscurabant enim beneficium Christi, quia indocti putabant, se remissionem culpæ consequi, propter illa propria opera. Deinde si quid in his erat omissum, conscientia perturbabantur. Item deligebantur ceremoniæ, peregrinationes, & huius generis alia inutilia opera, non mandata diuinitus. Et his fingeant ipsi doctores, compensari mortem æternam.

Iraq; duximus piæ mentes liberandas esse his terroribus, & docemus satisfactiones, videlicet Canonicas illas, quas ipsi vocant opera indebita, &c. nec ad remissionem culpæ, nec ad remissionem pœnæ æternæ prodesse, nec esse necessarias. Olim in Ecclesia mos fuit in publica pœnitentia, non recipere lapsos ad Ecclesiam redeuntes, nisi addita aliqua multa exempli causa. Ab illo more sunt ortæ

ortæ satisfactiões. Sed veteres illo exemplo volebant p̄pulum à peccando deterrere, non sentiebant ceremoniam illam esse compensationem culpæ, vel æternæ mortis, vel purgatorij, Hæc postea affixerunt homines indocti.

Sed veteres illi mores tempore consenuerunt, & antiquati sunt. Nos igitur non oneramus conscientias satisfactiõibus, Sed illud docemus, fructus pœnitentiæ necessarios esse, obædientiam, timorem Dei, fidem, dilectionem, castitatem, & vniuersam nouitatem spiritus, debere in nobis crescere.

Monemus & illud, sæpe puniri peccata etiam temporalibus pœnis in hac vita, vt Dauid, Manasse, & alij multi puniti sunt. Et has pœnas mitigari docemus bonis operibus, & vniuersa pœnitentia, Sicut docet Paulus, Si nos ipsos iudicemus, non iudicemur à Domino. Et pœnitentia meruit, vt Deus sententiam de delenda Ninive mutaret.

Ita, cum antea disputationes de pœnitentia fuerint inextricabiles, & plene absurdarum opinionum, nunc repurgata doctrina, ita traditur p̄pulo, vt intelligi possit, & profit ad pietatem. Retinemus & illustramus veras pœnitentiæ partes, Contritionem, Fidem, Absolutionem, Remissionem peccatorum, Emendationem totius vitæ, mitigationem præsentium pœnarum.

Ac speramus bonos viros in hoc loco, non solum nihil reprehendere, sed etiam gratiam habere his, qui repurgarunt hanc doctrinam Christianæ partem, quam prodest in Ecclesijs extare, quam planissime explicatam atq; illustratam. Christus inquit, Angelos in celo lætari, cum vident respicere peccatorem. Itaq; gratulantur Ecclesiæ, & ipsi Angeli, puram de pœnitentia doctrinam.

Hunc Articulum reperimus alibi collocatum quarto loco inter eos, quibus recensentur abusus mutati.

DE CONFESSIOE.

¶ Confessio in Ecclesijs apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et docetur p̄pulus diligentissime de fide absolutionis, de qua antè hæc tempora magnum erat silentium. Docentur homines, vt absolutionem plurimi faciant, quia sit vox Dei & mandato Dei pronuntietur. Ornatur potestas clauium, & commemoratur quantam consolationem afferat perterrefactis conscientijs, & quod requirat Deus fidem, vt illi absolutioni tanquam voci de celo sonanti credamus, & quod illa fides in Christum vere consequatur, & accipiat remissionem peccatorum. Antea immodice extollebantur satisfactiões, fidei vero & meriti

& meriti Christi, ac iusticiæ fidei nulla fiebat mentio, quare in hac parte minime sunt culpandæ Ecclesiæ nostræ. Nam hoc etiam aduersarij tribuere nobis coguntur, quod doctrina de pœnitentia diligentissime à nostris tractata ac patefacta sit.

Sed de confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientia cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recitare, Vt testatur Psalmus, Delicta quis intelligit? Item Ieremias, Præuam est cor hominis & inscrutabile. Quod si nulla peccata nisi recitata remitterentur, nunquam acquiescere conscientia possent, qui plurima peccata neque vident neque meminisse possunt. Testantur & veteres scriptores enumerationem non esse necessariam. Nam in Decretis citatur Chrysostomus, qui sic ait, Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti, Reuela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum verum iudicem, cum oratione. Delicta tua pronuntia non lingua, sed conscientia tua memoria, &c. Et glossa de pœnitentia, Dist. 5. Cap. Consideret, fatetur humani iuris esse confessionem. Verum confessio, cum propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum utilitates apud nos retinetur.)

I I I I .

D E D I S C R I M I N E C I B O R V M
E T S I M I L I B V S T R A D I T I O N I B V S
P O N T I F I C I I S .

I N hac corporali vita opus est traditionibus, hoc est, locorum ac temporum discriminibus, vt ordine gerantur res in Ecclesia, sicut præcipit Paulus, vt omnia fiant ordine, & ita, vt deceant. Ideo & Ecclesia habet traditiones, hoc est, constituit quibus temporibus, vbi conuenire populus debeat. Ad hunc ciuilem finem licet concedere traditiones. Sed homines imperiti doctrinæ Christianæ, non sunt hoc sine contenti, sed affingunt supersticiosas opiniones traditionibus, easque per superstitionem sine modo cumulant. Id quæsi sunt accidisse in Ecclesia, non tantum recentiores, Gerson & alij quidam, sed Augustinus etiam.

Quare necesse est populum admonere, quid de traditionibus, quæ humana autoritate conditæ sunt in Ecclesia, sentiendum sit. Neque enim nihil causæ est, cur Christus & Paulus toties de traditionibus concionentur, & Ecclesiam admoceant, vt prudenter de traditionibus iudicet.

Fuit